

*Agave sobotifera* a Te delineata, quantum ex icone patet, cum germen intra florem haereat, non potest non esse vera *Yuccae* species.

*Ximeniae* characterem totum quaeso communices, an calyx trifidus?, nonne quadrifidus?

*Comujandurae* nomen mihi plane ignotum est.

Quae notas de Gynandris rite se habent, possent plantae, cujus receptaculum elongatum fert stamina elevata ad alias classes amandari; credideram arbitrarium esse, et tamen intellectu facile, non quod varia genera gerant stylum alium supra germen, sed de his aliquando plura disseram.

Si *Diantheram* ad *Justicias* referas, debes etiam, vel me omnia fallant, et *Monnieriam Gratiotis* asociare. Habeo *Monnieriam* pulchre exsiccata, ut floris partes, ni fallor intelligam.

*Hippomanes* characterem novum emendavi ad Loefflingii descriptionem, qui vivam in America vidit, et de cujus fide non dubito, cum fuerat meus discipulus oculatissimus, si quis alius.

*Pisonia* mihi in horto est tantum spinosa, quae floret.

*Hernandiae* character etiamnum mihi obscurus et dubius est, an Masculi floris calyx tripartitus, corolla tripetala; Feminei (in eadem planta) calyx truncatus, integerrimus. Cor. sexpetala?

*Coccolobae* forte distinctum genus a *Polygono*, quamvis in ordine naturali mihi valde affine videntur.

*Echites*. Quae notas de nectario pro distinguendis generibus, mihi maxime arrident, alioquin numquam finis esset novorum generum e corolla.

*Euphorbiae* 12 flores non vidi, ex Dillenii horto eitham. omnia, quae novi habeo.

*Lobelia Plumierii*, hanc descripsit Osbeck in Java; fructus adeo recedit, ut de genere dubitare possim. Habeo florem exsiccatum, sed nescio quale gluten impediatur ejus explicationem.